

tet. Ea vero similitudo, quæ potest esse, nisi hæc, ut in neutra, noui quidquam constitutum, sed in vtraque, aliquid iuris, iam antea competentis seruatum sit? Quemadmodum itaque hac legis parte, parentibus conseruata quidem successio, non vero in præiudicium vnilateralium fratrum & sororum mutata, hisque succedendi ius ademptum est: sic illa dispositione, vsusfructus patri conseruatus quidem est, at in præiudicium liberorum amplificatus, hisque vsusfructus perceptio adempta, dici non potest. Ex quo consequens est, ut vtriusque decisionis verba, vno eodemque modo accipienda sint, si ab hoc discesseris, quod altera, vsusfructus mentionem faciat, altera vero de successione parentum præcipiat.

§. XV.

Quæ quidem legis sententia, quamquam non recondita quadam ratione cernatur, sed ita sit in promptu, ut facile qualicumque mea opella, lex caritura fuisset: tamen præuideo, futuros, quibus hæc, quæ dixi, displiceant; quibusque legem ita interpretandam esse conducat, quasi vsusfructus ad dies vitæ, patri concessus sit, idemque nec amittatur, licet liberi se ipsi sustentent, & aut nupserint, aut separatam œconomiam instituerint. Qui autem ita sentiunt, hi saltem mihi concedent, valde dubium, neque ita expediti iuris esse, an re vera, lex ita interpretanda, & ius antea vsitatum, sublatum dici possit. Nam argumenta, ex ratione & verbis legis petita, etiam si negatiuam sententiam non omnino probare alicui videantur: tamen id profecto efficiunt, ut sententia affirmantium, valde dubia reddatur, neque ita certo de

ea-